

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Festum Resurrectionis Dominicae Anno MDCCI. Pie Ac Devote Celebrandum Intimat

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1701?]

VD18 90816587

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-200646



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

201
24

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
RESURRECTIONIS
DOMINICÆ

Anno clō lxxcl.

PIE AC DEVOTE CELEBRANDUM
INTIMAT.

0 21



ESUM, quem verum atque unicum MESSIAM credimus, a mortuis secundum Scripturas resurrexisse certa atque infallibilis veritas est, quam revelatam nobis, confirmatamque testimoniis, & humanis, & angelicis, & divinis alibi ostendimus. Resurrectionis autem huius proprietates, quam & veteres & recentiores *δοκται* argutiis suis arctare non erubuerunt, per characteres atque attributa resurrectionis veræ in mensa solis omnium oculis est exposita. Vera resurrectionis notio in eo consistit, quod

L. 4. de or-
rhod. fide
c. 4.

fit, definiente Damasceno, *δεύτερα τῆ πενήκοντος εἰσόδου*, ejus, quod ceciderat, iterata statio, sive mutatio substantialis, qua eadem numero res, quæ antea fuerat, postquam destructionem vel corruptionem passa est, in pristinum statum restituitur, & quasi reproducitur. *Mutatio* vocatur, ut a nova vel iterata creatione distingvatur: quod si enim Deus annihilaret hominem, eundemque denuo ex nihilo produceret, quanquam restitutio ejusdem rei esset, resurrectio tamen proprie non foret: cum non sit vera mutatio, sed nova ac totalis hominis in nihilum redacti productio. *Substantialis* dicitur, ut discernatur ab alterationibus accidentilibus, qualis est, si quis ex somno evigilat, e lecto surgit, a morbo ad sanitatem redit. Mutationes hæc quidem sunt, sed neutra earum resurrectio dici meretur. Porro mutatio rei dicitur, quæ fuerat, & destructa sive corrupta est: quod immaterialia & incorruptibilia resurgere non possint dici: cum resurrectio quandam involvat reproductionem, reproduci vero non possit, quod ubi semel esse coepit, nunquam deinde esse desiit. Rerum denique materialium atque corruptibilium quarundam formæ post totius destructionem sive corruptionem remanent, aliarum vero, suis corruptis corporibus, simul esse desinunt, ac propterea, si vel maxime reproducerentur ex eadem materia, ea tamen resurrectio proprie dicta non esset, cum non idem individuum foret, quod erat ante, sed restitutio tantum speciei per aliud individuum. Cum vero anima rationalis a corpore suo separatur, quæ hominis est destructio, tum anima ita separata superstes existit, ac consequenter reunionis cum corpore, etiam cinesfacto, sed virtute Dei omnipotentis restituto, capax est: cumque duo hæc per essentialē vitalemque unionem rursus conjunguntur, tum idem vivit homo, qui vixerat ante: atque sic redunitio ista perfecta ac proprie est resurrectio a morte ad vitam, quia eadem numero persona, ex iisdem numero partibus essentialibus (anima & corpore) consistens, mortua prius, & nunc rursus vivens est. Quæ si jam applicentur ad Resurrectionem Christi, occaecatum esse oportet, qui non agnoscit Christum vere ac proprie ex mortuis resurrexisse. Primo enim vera, licet miraculosa generatione, caro factus est, inque sua natura humana vitam vixit veram ac propriam, actiones vita-

les

les nostris similes producens. Deinde veram ac propriam in morte sua passus est dissolutionem, anima vere a corpore separata, hoc ipso sine ulla vitalitate in cruce ac sepulchro relicto. Eadem tertio demum die anima eidem redunita fuit corpori, atque sic idem homo revixit. De Corpore probant hoc ejus tum veritas, tum identitas ex tot apparitionibus dilucescens. De veritate omnes quidem Apostoli primum dubitabant. Cum enim JESUS post resurrectionem suam staret in medio eorum, *conturbati & conterriti existimabant se Spiritum*, Luc. 24, 37. *videre*. At satis ipse τὸ σαματικὸν probabat iis dicens: *Palpate me & videte*, 39. *quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. De identitate autem corporis sui ipsos convincebat his verbis: *videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum*. Inprimis vero ad Thomam incredulum: *Infer digitum tuum* Job. 20, 27. *huc, & vide manus meas, & asser manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis*. Corpus igitur, in quo resurrexit Christus, idem sit necesse est atque illud, in quo vixerat ante, cum idem sit atque illud, in quo mortuus erat. Atque ut de Anima non minus ac de corpore certi essemus, primo quidem vegetativæ ac nutritivæ facultatis argumentum proferebat: *Habetis*, inquit, *hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piscis assi, & Luc. 24, 41. favum mellis, & accepit, & in conspectu eorum comedit*. Deinde facultatis sensitivæ: quando cum iis conversatus, ab ipsis visus & auditus, eos vicissim vidit ac audivit. Rationalis denique ac intellectualis animæ indicium promebat, quando loqueretur cum discipulis suis ac dissereret ex Scriptura *de his ipsis rebus, de quibus locutus fuerat ad eos, cum adhuc esset apud ipsos*. Ita scilicet probabat corpus, quod viderent, vere ac proprie ab anima humana informatum esse. Atque ut certius adhuc nossent, eandem esse animam, qua corpus ante mortem animatum fuerat, divinitatem quoque suam certissimo testimonio probavit, miraculum scilicet edens in *copiosa piscium captura*: nec non discipulis *afflatu Spiritum S. communicans*: ac denique, *ipsis adspicientibus, in cælum ascendens*. Cum enim *nemo ascenderit in cælum, nisi qui de cælo descendit, nempe Filius hominis, qui est de cælo*: ac divinitas τὸ Λόγος nulli unquam animæ humanæ unione tam excellenti conjuncta fuerit, ut in Persona Christi, patet inde eandem fuisse animam, qua & ante mortem vixerat, & miracula ediderat. Cum igitur Christus, ex mortuis resuscitatus, a discipulis suis visus sit in eodem corpore, in quo mortuus fuerat, & cum eadem anima ipsi unita, sequitur eum resurrexisse a mortuis resurrectione vera ac propria. Sed ajunt *Docetæ* Christum redivivum accepisse corpus quoad substantiam spirituale, inque corpore in se & sua natura invisibili & impalpabili resurrexisse. Audiamus ex recentioribus VALENTINUM VVEIGELIUM: *Hoc certum, & irrefragabiliter verum est, Christum resurrexisse invisibiliter, impalpabiliter, in glorificato corpore, quod ab omnibus mortali- libus* P. II. Postill. Fer. 3. Pasch. f. 26.

libus oculis & manibus, nec videri, nec palpari potuit. Nam ut mea cogitationes m-
rum penetrant, sic Christi corpus saxum: & quod sic ipsum resurgere oportuit, causa
Luc. 24, 39. erat, quod corpus ejus non erat ex Adamo, sed e Spiritu Sancto. Quod autem hic (ab
40. Apostolis) finis corpus suum videri, manus pedes vulnerum vestigia palpari, quod
etiam manducat: eo significare vult, se ad judicium venturum esse in specie ho-
minis, & corpus omnibus adversariis monstraturum, qui negarunt ipsum natu-
ralem esse Dei filium, ac persecuti fuerunt. Mortales oculi discipulorum non
potuissent ipsum videre, nec manus palpare, nisi reddidisset se visibilem atque
palpabilem: & haec est novi corporis agilitas, ut possit se patefacere, prout vult,
& tamen idem maneat. At enimvero Dominum JESUM corpore glorioso,
hoc est novis ac spiritualibus exornato qualitatibus cinctum resurrexisse, Christia-
no dubium esse nequit: invisibili autem in se & impalpabili corpore ex sepulchro
Epist. ad
Smyrn. produsse, adeoque, ut Ignatius loquitur, δαιμόνιον ἄσώματος fuisse, minime
certum & ἀναντιρρότον, imo veritati evangelicæ prorsus adversum est. Non
equividem post resurrectionem suam ita familiariter conversatus fuit (quod Græci
συναναζεῖσθαι dicunt) cum discipulis, aut quoquam mortalium, quemadmo-
dum ante mortem suam solitus erat, nempe ut semper una esset, ederet, biberet,
comitaretur: nec oculus aut manus mortalis, sine speciali dispensatione Dei, cor-
pus ejus glorificatum attingere potuit; nihilominus sæpius conspiciendum at-
que contrectandum suis se præbuit, quin & congressus est, & sermonem habuit,
Act. 1, 4. & conventus quasi quosdam instituit. A Luca enim dicitur non tantum ὁπτα-
νόμεναι αὐτοῖς, verum etiam συναλιζόμεναι, quod majus est. Hujusmo-
di igitur ὁπτασίας sive Φανερώσεις, quin & συναλίσσεις sive congressus Hi-
L. 3. de Con- storia evangelicæ recenset, quarum numerum Augustinus diligenter & accurate
sensu Evan- iniit, decemque invenit ac prodidit, quas breviter, & quantum ad præsentem sco-
gelist. sub pum satis est, nunc percurramus. Prima ὁπτασία sive apparitio facta est Ma-
finem. riae Magdalene, quæ, conspecto Domino, hortulanum esse rata, ut est apud Jo-
Marc. 16, 9. hannem, de corpore ejus, qui vivus adstabat, anxie quæsit. Mox autem, cum
Jo. 20, 15. nomen suum ex ore viventis, quem tanquam mortuum deplorabat, audisset,
agnoscit, & magistrum salutavit. Inde ad oscula & amplexus pedum prope-
rans (nam amplexus pedum erat apud Judæos reverentiæ genus, præsertim mu-
lierum erga viros) audit: *ne me tangas; nondum enim ascendi ad Patrem meum.*
Mire se hic torserunt Interpretes in reddenda causa, ob quam tactu Domini pro-
hibeatur Maria, & cum Dominus ipse causam reddat, non tamen facile apparet,
quæ vis sit in illa ratione: *quia non ascendi ad patrem meum*: quasi vero post-
quam ascendisset, ad tangendum opportunior futurus esset? Brevibus ut sensum
verborum edisseram, nihil aliud voluisse videtur Servator, quam ut Maria ocyus,
nulla interposita mora, letum de resurrectione sua nuncium ad consternatos
discipu-

discipulos perferret; illa vero gaudio plena & desiderii impatiens ad pedes
ejus provolvebatur. Tum vero Servator: *Ne, inquit, me tangito*: quasi di-
cat: noli tempus extrahere & morasnectere tangendo & amplexando: *non-*
dum enim ascendi ad patrem meum: id est adhuc per aliquot dies in terris
commorabor, ut tempus *me tangendi & amplectendi*, seu pluribus mecum
agendi, non sit defuturum. Nunc autem potius ad perturbatos discipulos
festinans accurrito, quæque vidisti & audivisti iis, ut animum recipiant, an-
nunciato. *Secunda* apparitio facta est mulieribus a monumento reversis,
ut discipulis, quæ viderant, renunciarent. Ab iis pedes suos prehendi, adeo-
que tangi passus est, ut narrat Matthæus. *Tertia* Petro obtigit, ut colligere Matth. 28.
licet e Luca. Nam cum discipuli Emmaunte redirent, invenerunt congre- 6. 9. 10.
gatos discipulos, dicentesque: *Suscitatus est Dominus vere, & conspectus Simo-* Luc. 24. 38.
ni. Pergimus ad *quartam* discipulis istis duobus Emmaunte profectis factam.
Obtulit hic se iis videndum Servator alia forma, ut est apud Marcum, nem- Marc. 16. 12
pe sicut ex eorum sermonibus constat, advenæ sive peregrini: sicut in pri-
ma apparitione Mariæ hortulanus visus fuit. Non tantum enim divinæ po-
testatis, sed gloriosi quoque corporis, propter perfectam ejus, quæ animæ
obedit, subjectionem videtur esse, apparere ubi lubet, & cum lubet, ac quo-
modo lubet. Quod autem Lucas dicit, *detentos fuisse ipsorum oculos, ne cum* c. 24. 16.
agnoscerent, non ita intelligendum, ac si divinitus aliquod impedimentum in
oculis eorum factum fuerit. Nam ut hoc factum fuisse statuamus, nihil opus
est; sed quod non magis Christum agnoverint duo illi discipuli, quam si te-
nerentur illorum oculi: sicut in hac ipsa historia *oculi aperti* dicuntur, non
quod ante clausi essent, sed quod ministerio oculorum agnosceretur, quod
prius non agnoscebatur, perinde ac si ante reipsa clausi tunc demum aperi-
rentur. Ut autem non agnoscerent, factum fuit ob *speciem peregrini*, &
forte immutationem quandam, quæ corpus gloriosum decuit, ita permitten-
te ac disponente ipso Domino, ut dum non agnoscebatur, occasionem habe-
ret suos docendi. Diversorium autem ingressus, ibique discumbens cum il- Luc. 24. 30.
lis, cum panem acciperet, benediceret, frangeret ac porrigeret, ipsique vi-
derent more, quo inter suos uti solitus erat, agentem, agnoscunt eum. At-
que hoc est, quod dicitur agnitus esse ab eis *ἐν τῇ κλάσει τῆς ἄρτης*, nempe Ib. 6. 35.
cum frangeretur panis. Ritus enim isti, a Servatore adhiberi soliti, discipulis
illis noti erant. *Quinta* huc maxime spectans apparitio facta undecim Apo- Joh. 20. 19.
stolis congregatis eo ipso die, quo Dominus resurrexit. Monstravit hic il- 1. 49.
lis *vestigia vulnerum in manibus & pedibus suis*, quæ sine dubio, invitante
Domino, præsentibus contrectarunt Apostoli, ut ex iis, quæ de hac apparitione
jam

jam supra dicere occupavimus, constat. Thomas autē existimans, Collegas suos
 deceptos fuisse, & non vulnera, sed similitudinem quādam vulnerum tetigisse,
 se ait prudentiorem fore, & non modo vestigia vulnerum, sed ipsam men-
 suram in manibus digito, in latere palma exploraturum, quæ si respondeat,
 tunc demum adductum iri, ut assentiatur. Christus itaque pro ineffabili sua
 in homines, & præsertim discipulos suos, caritate, lenitate, & benignitate, de-
 siderio Thomæ in *sexta* apparitione satisfecit, & ei resurrectionis suæ fidem
 comprobavit eodem modo & argumento, quo cæteris ante octiduum com-
 probarat: hoc enim se cupere, verbis suis Thomas præ se tulerat. Quæ ejus
 cum verba tum desideria sibi cognita esse Servator præveniens mox ab in-
 gressu suo declarabat. *Septima* apparitio septem facta discipulis in Galilæa
 ad mare Tiberiadis. *Ὀθῶνα συνάλῃσις* sive *ὀπῆσῖα* omnium celeberrima,
 utpote ab angelis & ipso Christo prædicta, in monte Galilææ quingentis simul
 fratribus facta fuit, ut narratur a Paulo. *Nona* obtigit Apostolis cum e Ga-
 lilæa rediissent, & Hierosolymis essent. *Decima* accidit die ultimo conver-
 sationis Domini in terris, cum Apostolos ad Bethaniam usque eduxit, & inde
 ad cælos ascendens sedit ad dextram Dei. Ex omnibus his apparitionibus
 abunde constat, CHRISTUM in corpore quidem glorioso, non tamen in se in-
 visibili aut non palpabili resurrexisse. Quomodo enim sensuum judicio cor-
 poris sui resuscitati veritatem probare potuisset, si non resurrexisset in corpo-
 re visibili atque palpabili. Ita *Christus non resurrexisset in carne vera, sed si-*
mulatam carnis speciem, ludificandis humanis sensibus, præbuisset, nec solum re-
surrectionem, sed & mortem mentitus fuisset, uti Augustinus hoc olim expro-
 bravat Manichæis. Sed excipit Weigelius, quoad visibilitatem: *Christum se*
reddidisse visibilem, cum hæc sit novi corporis agilitas, ut se patefacere possit, &
tamen idem (sive in se invisibile) maneat. At vero, quod Christus se visibi-
 lem reddiderit, nullus Evangelista testatur: testes sunt potius omnes, quod
 se manifestaverit. Jam, aliud est *se manifestare*, aliud *visibilem reddere*. Quod
 suis post resurrectionem discipulis Christus apparuit, singularis erat *ὁικονομία*
 seu dispensatio: quod visibilis fuit, ad naturæ conditionem pertinet. Addit
 enim resurrectio corpori immortalitatem & gloriam, suam tamen ei naturam
 auferre non debet. Quoad palpabilitatem vero idem VVeigelius dicit:
Quod Christus hic finit palpari manus, pedes, vulnerum vestigia, eo significa-
re vult, se ad judicium venturum esse in specie hominis, & corpus iis monstra-
turum, qui negarunt esse filium Dei naturalem. Sed nihil horum e textu
 sacro ostendi potest. Monstravit Christus & manus, & pedes, & latus, & vul-
 nerum cicatrices discipulis suis, ut crederent, vere ipsum resurrexisse, atque
 idem

Job. 21, 1.
 seqq.

Matth. 28,
 6. & 10.

1. Cor. 15, 6.
 Conf. Luc.

24, 49. cum
 Act. 1, 4.

Marc. 16, 19.
 Luc. 24, 50.
 Act. 1, 9.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

Hæres. 21.
 & 46.

idem e sepulchro, quod prius habuerat, retulisse corpus. Ideo Thomam alloquens addit: *Et ne esto incredulus, sed credens.* Et discipulis omnibus dicit: *Quid turbati estis, & quare disceptationes subeunt corda vestra.* Advertens hoc Cyrillus Alexandrinus: Jesum id fecisse, scribit, ut absque dubio crederemus resurrectionis peractum esse mysterium, non alterius cuiusdam excitati corporis, sed ejus, quod mortem illam pertulisset. Et paulo post: *Ne quidem sibi persuaderent, Spiritum surrexisse, neve CORPUS IMPALPABILE, umbratile, atque aëreum, quod nonnulli nominare solent spirituale, sed ipsum illud corpus, quod seminatum est in corruptione, juxta Pauli vocem, excitatum crederetur, quæ solido & crasso corpori conveniunt egit atque exhibuit.* Huc pertinet illud Augustini: *Ad dubitantium corda sananda, vulnere sunt servata vestigia.* Et quod alibi legitur: *Nec cicatrices essent, si eas nolisset: Voluit autem certæ dispositionis gratia, ut iis, quos edificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, sed hoc, quod crucifixum viderant, resurrexisse monstrarent.* Digna etiam sunt verba Leonis Magni, quæ hic legantur: *Ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa, & ut diligentius pertractetur seu contrectetur, invitat & ascendit. Doque via ad sananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lancea erant servata vestigia, ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consistorium throno, quæ jacuerat in sepulchro. Hic igitur servatæ & ostensæ vulnerum cicatrices, sive vestigia, non necessitatis aut infirmitatis fuere, sed potestatis, ad confirmandam fidem imbecillium.* Et hæc ad exceptiones VVeigeli dicta sunt. Nunc paucis etiam discutiamus objectiones ejus duas. Prior hic est: *Sicut cogitationes meæ murum penetrant, sic corpus Christi saxum sepulchri.* Nemo quidem, qui ratione sua recte uti novit, negabit, penetrationem corporum nihil implicare absurdum, & divinæ omnipotentiae impossibilem non esse: nec ideo, veritatem humani corporis exuisse Christum, putandum est, si resurgens saxum sepulchri & fores clausas penetraverit: adeoque simile de nostra cogitatione, quæ res incorporea est, huc non quadrare videtur. An vero, cum Servator resurgeret, facta fuerit hæc saxi sepulchralis penetratio, Scripturæ quidem differtum indicium non faciunt, ut animadvertit Petrus Paludanus; innuere tamen videtur Matthæus, qui revolutionem saxi ita ab angelo factam narrat, ut jam ante Servatorem, clauso adhuc monumento, resurrexisse verosimile relinquat. Certe ecclesia & veneranda antiquitas pie ita credidit semper. Nobis autem ab hac discedere cum iis, qui nostra ætate hoc inficias vivere, non libet, & ut Hieronymus loquitur, *angelum non putamus idcirco verum edidit nisse,*

nisse, ut aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & revolveret lapidem, sed, postquam Dominus resurrexerit, hora, qua ipse voluit, & qua nulli mortalium cognita est indicasse quod factum est, & sepulchrum vacuum, revolutione lapidis & sui ostendisse presentia. Idem esto iudicium de ingressu Christi ad discipulos per fores clausas. Ita enim Gregorius Magnus: *Palpandam carnem Dominus praebeuit, quam januis clausis introduxit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum, & ejusdem natura, & alterius glorie.* Posterior ita se habet: *Corpus Christi non erat ex Adamo, sed e Spiritu Sancto.* Ad hunc errorem, jam olim ab haereticis, Hieronymo annotante, sparsum, & ab Anabaptistis seculo XVI. revocatum, illud Tertulliani reponimus: *Si caro Christi humana non fuit, nec ex homine, non video, ex qua substantia ipse Christus hominem & filium hominis se pronunciarit.* Ab Adamo descendisse Christum, ex ejus genealogia, prout a Luca descripta reperitur, constat. Quod e Spiritu Sancto conceptum sit corpus ejus, non quidem *αἰσθητικῶς*, sed *διανοητικῶς*, operatione singulari & supra naturae ordinem, concedimus, ideo autem invisibile & impalpabile resurgere debuisse negamus: ex essentia Spiritus Sancti fuisse illud nemo hactenus probare potuit. Sed jam sistendus calamus, idque faciendum, quod hoc programme Paschali fieri debet. Indicanda enim est oratio, quam Feria I. Paschatis in solenni paegyri de *Vexillo CHRISTI Triumphali*, tribus coloribus, nigro, candido, & viridi conspicuo, e suggestu Academico, medios inter concentus publicos, habebit *Eximius atque Doctissimus Juvenis* Dn. M. JOHANNES CHRISTIANUS BREUER / *Zittavia Lusatus, Theologiae studio addictissimus.* Cui audiendo ut PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE e sacello Nicolaitano ad templum Paulinum nos more consueveto comitari ne graventur, ea qua par est humanitate rogamus. *Studiosos vero Juvenes* ad frequentem praesentiam & attentionem devotam exhortamur. P.P. ipsis vigiliis Paschalibus die XXVI. Martii, Anno salutis

MDCCCL.

Typis FLEISCHERIANIS.

33 (0) 33



61 C 2

10-18

